AUTHOR:

AHLEMEYER, J. B.

TITLE:

DE ARGUMENTO ET RATIONE VIAQUE...

PLACE:

[PADERBORN]

DATE:

[1835]

Master Negative #

93-81310-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Ahlemeyer, J B

...De argumento et ratione viaque primae Q. Horatii Fl. Satirae, scripsit J. B. Ahlemeyer... [Paderborn], Schlegel, [1835]

14 p. 20 cm.

At head of title: Elfter jahresbericht über das Theodorianische gymnasium zu Paderborn in dem schuljahre 1834-35...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Elfter

Jahresbericht

über das

Theodorianische Gymnasium

zu Paderborn

in dem Schuljahre 1834 — 35.

Voran eine Abhandlung:

De argumento et ratione viaque primæ Q. HORATII Fl. satiræ.

Scripsit

J. B. Ahlemeyer, gymn. paderb. professor.

Gedruckt bei B. C. Schlegel, Univ: Buchdrucker.

DE

ARGUMENTO ET RATIONE

VIAQUE PRIMAE *Q. HORATII Fl.*

SATIRAE.

Q. Horatii Fl. Satir. I. 1.

Discrepant inter se mirum quantum præstantissimi, qui de satiris Horatianis scripserunt, interpretes et veteres et recentiores, tum in quo maxime istius, quam indicavimus, satiræ vis versetur atque argumentum, tum quam ad rationem ac viam id, quod rem caussamque videatur continere, dirigatur, exponatur, illustretur. Primum enim *Wielandius* 1), ut veteres omittamus, censet, hoc sermone Horatium id præcipue spectasse, ut infinitam hominum cupiditatem *lucri quaestusque faciendi* in maximis *stultitiae* vitiis ponendam esse ostenderet; quæstionem vero illam, qui fieret, ut nemo sua sorte esset contentus, adhibuisse, non quo eam sibi solvendam sumeret 2), sed quod haberet, unde exordiretur et quo ea, quæ diceret, possent referri. Ad rationem vero et viam docet, neque hunc neque alios Horatii sermones ad artem et ad præcepta oportere revocari; continuationem seriemque senten-

1) Horazens Satiren, aus dem Lateinischen übersetzt, und mit Einleitungen und erläuternden Anmerkungen versehen von C. M. Wieland. Leipzig 1786. Neue Ausgabe 1804.
2) cf. Læv. *Torrent.* commentar. „Propositam tamen quæstionem aperte non dissolvit.“

tiarum non esse eam, ut alia ex alia apta et omnes inter se nexæ colligatæque videantur, sed si non licenter, tamen libere vagari singulas, et insisti in aliis, alias prætermitti vel animi voluptatisque caussa, longis denique degressionibus factis orationem vel ad exitum aliquem perduci, vel eodem, unde egressa sit, reverti. Hæc ille. Deinde *Fr. Aug. Wolfius* 3), quæstioni introitu sermonis propositæ vim tribuens maiorem id censet Horatium esse secutum, ut *caussam* ægritudinis hominum sorte sua non contentorum ex eorum *avaritia* 4) repetendam esse exponeret; idque non, sine circuitione neque ita artificiose, satis tamen recta ratione fecisse. Tum *Heindorfius* 5) rationem se firmam ac stabilem in isto sermone invenire negat potuisse; poetam enim a proposito susceptoque consilio, inquirendi in caussas, quam ob rem plerique homines sua sorte non essent contenti, maximam partem aberrasse, *eique* solum institisse animi *affectioni*, quæ tantum abest, ut parto velit uti et frui, ut rebus tantum conquirendis et comparandis det operam, cuius quanta sit stultitia eaque quam perniciosa, docuisse maxime. *Kirchnerus* denique, vir doctus et de Horatii satiris meritus optime 6) hanc sibi præ aliis comparavit laudem, ut poetam cum in aliis tum in hoc sermone strenue viam suam exsecutum esse confirmaret, eamque studiose conaretur describere. Argumento autem definiendo postquam multa docte, accurate, præclare est præfatus, poetam hæc fere facit docentem: homines plerosque, quum in earum rerum, quæ ad bene beateque vivendum pertineant, ignoratione versentur, in extraneis potissimum rebus, quo sint omnia beate vivendi consilia referenda, ponere bonum, ob eumque er-

3) Horatius' erste Satire, lateinisch und deutsch mit einigen Scholien. Berlin 1813. —
4) „Indicat tantum, huius animi ægritudinis caussam esse avaritiam, late, ut ego quidem arbitror, accepto avaritiæ vocabulo.“ *Torrent.*
5) des Quintus Horatius Fl. Satiren, erklärt von L. F. Heindorf. Breslau 1815.
6) des Q. Horatius Fl. Satiren, kritisch berichtigt, übersetzt und erläutert von C. Kirchner. 1r. Theil. Stralsund 1829. — Quæstiones Horatianæ. Scripsit C. Kirchner. Lipsiæ 1834.

rorem tradere sese libidinibus cupiditatibusque constringendos; quæ quum insatiabiles sint et immensæ, inter seque ipsæ dissideant atque discordent, neque sinant vel in maxima rerum copia atque affluentia vivere beate, eorum animos cura, angore, tædio sollicitari omnemque perturbari vitam, itaque accidere, ut maxima pars hominum propter suam ipsius perversitatem et animi tranquillitate et vita prorsus beata privetur, neque id, quod propositum vitæ humanæ sit, consequatur. Addit vero, id ipsum ab Horatio non tam expressum esse aperte planeque 7), quam adumbratum unoque hominis avari exemplo probatum. Dicta tandem in unum coarctans, id quod quærimus, ita definit: sorte sua non contentum esse, maximo vitæ beatæ est impedimento.

Tam igitur discrepantes tamque variæ sunt doctissimorum hominum de re, quam quærimus, sententiæ. Neque tamen, profiteor, earum ulla est, cui, ut possimus acquiescere, ita prorsus faveamus. Quamquam enim ad ad Kirchnerum primas ex ceteris non dubitamus deferre, tamen vereor, ne doctius subtiliusque quam ad mentem sententiamque Horatii accomodatius definierit argumentum. Unum vero illud rectissime nobis dicere videtur: hominem avarum positum esse exempli caussa, neque ulla alia ratione id, quod de avaritia dictum sit, sumendum. Cetera autem quum nondum satis explorate percepta esse et cognita arbitremur, nostram quoque sententiam in medio ponemus, et quantum in nobis est, statuemus, quid sid illud, quod hoc sermone Horatius voluerit, et qua tandem ratione id ipsum sit consecutus. Id vero alii videbunt, satisne ea commode possint dici.

Nostro autem iudicio voluit Horatius docere, pravam illam hominum consuetudinem, qua fit, ut nunquam sua sorte sint contenti, proficisci plerumque ab *invidia*. Principio enim proponens quæ-

7) Perspicue vero expressam legimus eandem fere sententiam in Cleanthis, qui Zenonis auditor erat, præclaro illo hymno apud Stobæum. Eclog. I 3.

stionem „*qui fit, ut nemo sua sorte vivat contentus*“ hanc adhibet accessionem (v. 3.) *laudet diversa sequentis*“ digitumque, ut dici solet, ad fontem intendit. Deinde hominem avarum, quem, ut ante dictum est, exempli caussa ante oculos ponit, non posse dicit a re facienda desistere, *dum ne sit ditior alter* (v. 40.). Denique rem quum ad exitum adducit, quæstionem, quam principio proposuit, non sine illa, quam diximus, accessione repetit (v. 109.), et tum veteri proverbio apud Romanos atque nostros homines satis trito tum disertissimis planissimisque verbis declarat, invidiam fontem esse atque caussam, cur tot homines miserrimam amarissimamque agant vitam (vv. 110 — 120). Hæc strictim; sed copiosius rem tractemus, persequamur, explanemus.

I.

Primum docet poeta, homines illos, quos suæ pœniteat fortunæ, non tam molestiis dolere atque incommodis suis, quam aliorum commodis voluptatibusque. Producit enim nonnullos in scenam quasi publicam, qui dissimilia sequentes suum quisque conquerantur vitæ institutum. Isti quidem molestiis incommodisque implicantur et constringuntur; ea vero ipsa cum ipso vitæ instituto nexa sunt naturali quodam vinculo. Sic vitæ nauticæ est, adversa conflictari tempestate; militaris, multos magnosque subire labores, quibus vires corporis debilitari possunt ac frangi; iurisconsultorum (quales Romæ erant ætate Horatiana), facere civibus omnibus et opportuno et importuno tempore consilii sui copiam, multoque mane, etiam de nocte vigilare, ut consultoribus respondeant; hominum denique ruri degentium, vadimonii sistendi affici molestiis. Insunt sane tum in his et eiusmodi cum in unoquoque vivendi genere molestiæ, incommoda, angores; sed oblectamenta etiam, commoda, solatia. Quodsi quis id sibi genus ætatis degendæ constituit, quod aut maxime adamavit aut ad quod casu aliquo fuerit delatus: recta suadet ratio, ut studeat molestias, quascunque ex eo capiat, compensare oblectamentis, incommoda commodis, solatiis angores. Sed quæ

est hominum perversitas 8), adducuntur plerique, ut obliti suorum in aliena nimis intueantur commoda, et quum alios, qui dissimile vitæ genus sequuntur, iisdem, quibus se ipsi premi sentiunt, molestiis conspexerunt liberatos, illis se infeliciores putent esse, eorumque sortem admirentur, optent, expetant. Sin vero eis faciendæ cum alio commutationis detur potestas 9), nunquam certe sibi poterunt persuadere, ut suo relicto in illud, quod modo laudarunt vivendi genus, velint transmigrare. Quod si ita est, nonne satis videntur declarare, plus se in suo quam in alieno vitæ instituto invenisse iucundi, neque ullam aliam esse caussam, cur suæ se fortunæ pœniteat, nisi invidiam? Invidia enim, quod verbum, ut ait Cicero 10), ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ægritudo est ex alterius rebus secundis. Et, ut cum Horatio 11) loquamur, *Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.*

II.

Deinde, quod caput est, docet Horatius, homines plerumque ipsos et eas molestias, quas suum cuique vitæ institutum invehere soleat, augere novis iisque maioribus et gravioribus, et suis se voluptatibus privare, impellente maxime atque incitante illa *invidiae* affectione. Quod ut demonstret, exemplum affert hominis avari (poterat etiam hominis vel gloriæ cupidi vel ad voluptatem propensioris, eadem enim in eos, quæ in pecuniæ cupidum cadit invidia; sed docendi caussa prætulit avarum), eumque ostendit commoveri invidia, ut quæstu nunquam satiari vel contentus potius esse

8) „Ita plerique ingenio summus omnes: nostri nosmet pœnitet.“ *Terent.* Phorm. I, 3. 20.

9) Hanc sententiam inventori modo Herodoto (VII, 152), modo Socrati (ap. Plutarch. in consolat. ad Apollon.) modo Soloni (ap. Valerium Max. VII, 2. Exter. 2.) adscribi, eademque usum esse Choricium Sophistam in Orat. Funeb. in Procopium Gaz, docet *Dan. Wyttenbachius.* Animadvers. in Plutarch. Oper. mor. Tom. II. pag. 44. —

10) M T. Ciceronis Tuscul. Disput. III, 9, 20. cf. IV, 8, 17. —

11) Q. Horatii Fl. Epistol. I, 14, 11.

possit; ex quo quam plurimos gigni labores, pericula, inopiam in rerum affluentia, dolores, noctes insomnes, sortis denique et vitæ odium. Hanc vero sibi in re disserenda instituit viam, ut caussas, quas homines pecuniæ cupidi atque tenaces solent dictitare, exactissimo iudicio examinaret, easque parum firmas esse ac stabiles doceret. Quarum una est, quum dicunt, tot se tantosque lucri quæstusque faciendi caussa suscipere labores, ut otiosam senectutem et quietam sine ullo labore et contentione possint traducere; altera. quod magna in divitiis adiumenta posita sint ac præsidia ad vitam beatam. Sed vestigiis ipsum Horatium sequamur.

Primum igitur isti, quos, ut ante diximus, poeta quasi in scenam producit 12), perhibent, *hac mente laborem sese ferre, senes ut in otia tuta recedant, quum sibi sint congesta cibaria.* Contra talem ille: Recte quidem tu dicis, inopi senectuti prospiciendum parandasque mature res, quibus quum defecerint vires, potueris frui. Quod tamen ut assequare, non est necesse, ut vel in suscipiendis laboribus certos fines et terminos transeas, vel parcius ac tenuius vivas in præsens, vel plus appetas, quam satis est ad vitam, quæ parvo sane cultu contenta est, in posterum sustentandam. Ipsa enim formica, cuius te exemplo dicis admoneri, ut, ne degas in egestate senectutem, rem mature facias, alieno tempore non amplius exit foras ad

12) Non possum, quin hoc loco inchoem lectionis vulgatæ „*Perfidus ille caupo*“ mentionem. Hæc enim lectio quum interpretibus facesseret negotium neque deessent, qui gravissimis permoti rationibus (quas, quum disertissime scriptæ sint in Ephemerid. Jahnii, V. C. ann. 1829, non libet repetere) recedendum ab ea statuerent, novo iterum Kirchneri patrocinio defenditur. Censet autem, cauponis opportune proprieque, si rem propositam spectes, fieri hoc loco mentionem, eumque, quum moris esset, ut ementes fraudaret et hospites, posse et appellari perfidum et nominari in illis, qui dicerent, eo consilio laborem sese ferre, ut prospicerent senectuti. Sed vellem, vir ille doctissimus nobis aliquid posset afferre, quo hoc firmius crederemus. Quis est enim, qui confiteatur, diluere vina, vitiare merces, omnino fraudare ementes et hospites, rem multi esse sudoris et laboris?

cibaria congerenda, sed quamvis magna in ea est provisio futuri temporis cautioque incommodorum, cessat tamen necessitati parens (ſich fügend, ſich geduldend) ab opere, et rebus acquiescens utitur suis 13.) Tu autem quum nec ullis temporum iniuriis nec aliis quibuscumque difficultatibus movearis a quæstu, quum timens, ne minuatur, magnam pecuniæ summam, quam acquisitam habes, nolis in victum cultumque convertere, iusto denique ma-

13) Etenim lectionem vulgatam „*patiens*“ mordicus hoc loco tenendam, alterique, quæ nonnullis in codicibus legitur, longe censeo anteferendam. Est autem altera „*sapiens*“. Contra vulgatam homines nituntur doctissimi, ut Lambinus, Bentleius, Fr. Aug. Wolfius, Kirchnerus, cuius quidem unde sit tam insolens istius verbi fastidium, ut omni contentione velis, ut dicunt, remisque putet fugiendum, ego satis mirari non queo. At quum desertæ atque relictæ fere lectionis suscipiamus patrocinium, afferendæ sunt rationes, quibus si non aliis, certe nobis videamur persuasisse. Excutiamus igitur, quid sit patientia et quæ sit hoc loco vis istius verbi. Patientiam definit Cicero (de invent. II, 54, 163) honestatis aut utilitatis caussa rerum arduarum ac difficilium voluntariam ac diuturnam perpessionem. Longe igitur lateque patet; neque quidquam obstare video, quin honestatis aut utilitatis caussa etiam *otii* ingrati ac molesti voluntariam ac diuturnam perpessionem vocemus patientiam. Insuper ad istam, quam volumus obtineri, verbi significationem auctore possumus uti Seneca. Is enim (de Tranquill. anim. Cap. II.) hæc dicit: „Quæ omnia graviora sunt, ubi odio infelicitatis operosæ ad *otium* perfugerunt et ad secreta studia, quæ *pati* non potest animus ad civilia erectus agendique cupidus et natura inquietus, parum scilicet in se solatiorum habens; ideoque detractis oblectationibus, quas ipsæ occupationes discurrentibus præbent, domum, solitudinem, parietes non fert, invitus adspicit se sibi relictus. Hinc illud est tædium et displicentia sui, et nusquam residentis animi volutatio, et *otii* sui tristis atque ægra *patientia*.“ Formica vero, quam quærimus, ita sibi temperat, ut studio quæstus faciendi modum imponat, sub hiemem labores intermittat otiumque, quamvis ingratum sit molestumque, perpetiatur, nullo denique interposito metu fruatur quæsitis. Accedit, quod ea, quæ proxime sequuntur:

„ — *quum te neque fervidus aestus*
Demoveat lucro, nec hiems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.“

iores et ampliores, quibus tamen naturæ paucis contentæ fines nunquam poteris excedere, facultates desideres magis magisque: istud perspicuum est, alia te, ac tu dictitas, impelli et permoveri ratione, cur incommodis, molestiis, periculis cruciari te voluntate et iudicio patiaris, eamque nullam aliam esse posse, nisi ut divitiis nemo te superet.

Altera vero caussa, quam homines pecuniæ cupidi et tenaces solent interserere, illa est: pecuniam multorum et magnorum effectricem esse bonorum, ut honoris, voluptatum, benevolentiæ caritatisque hominum, vel ut cum Ovidio 14) loquamur. „In pretio pretium nunc est, dat census honores, Census amicitias; pauper ubique iacet." Contra dicuntur hæc: a) Nescis, insane, nescis, quam parvi æstiment vel despiciant potius homines istum, qui præter ea, quæ arca possunt concludi, nulla possideat bona. In honestate omnis vera laus est posita. Cuius animus moresque laudandi non sunt, is hominum despectione ac contemtione et dignus est et

maxime, opinor, sunt illius, quam interpretati sumus, patientiæ contraria; quæ, si verbum „*patiens*" premis, loco posita suo, contra si „*sapiens*" legis, futilia prorsus et frivola existimabuntur. Ad illud vero:

illis utitur ante Quaesitis

adaptati esse videntur vv. 41. 42.:

Quid iuvat, immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?

Ceterum observes velim, patientis nomen tum ad illud „*non usquam prorepit*" tum ad „*utitur ante Quaesitis*" eodem prorsus modo debere referri. — Restat, ut Horatius ipse aliis in locis eandem fere sententiam subiiciat patientiæ vocabulo (v. Satir. II, 6, 91. Epist. I, 17, 13, 25.), et consimiliter isto utantur et *Jul. Caesar* in Comment. de bell. Gall. VI, 24:
„Nunc quoque in eadem inopia, egestate, *patientia*, qua Germani, permanent" et *Corn. Nepos* in Agesil. C. VII.: „Quam (domum Agesilai) qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat, contra plurima *patientiae* atque abstinentiæ."

14) Ovid. Fast. I, 217.

habetur. Quocirca tu si vis laudari, te ipse oportet laudes. b) Quam tandem, quæso, ex tuis divitiis percipies voluptatem? Quid, nostine illud.

„*Mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus.* 15)

Idem tibi accidet. Quid enim? Veluti ignarus, quemadmodum pecunia uti conveniat, abstines tamquam a rebus sacris vel delectaris ea tamquam pictis tabulis, esuris, sitis, cares, quæ ad victum cultumque pertinent, quid multa, pauper es et inops in omnium rerum copia existimandus. Accedit, quod dies noctesque crucia1is timore, ne tuæ tibi divitiæ eripiantur, surripiantur, incendio amittantur. Quænam ista, quæso, voluptas est? c) Pecunia, inquies, conciliantur hominum animi; diligi vero et carum esse iucundum est, propterea quia tutiorem vitam et dolorem efficit leniorem. Sed a spe tua, vereor, ne destituaris. Propter peculii enim cupiditatem quum non possis a te impetrare, ut vel aliis vel iis, quos natura tecum coniunxit necessitudine, res necessarias suppedites, miseriis opituleris, officia præstes: tantum aberit, ut tui te benevolentia prosequantur, vitam tuam valetudinemque curent, ægroto assideant doloremque leniant ac mitigent, ut odio omnes in te ferantur, mortem tuam expetant, atque — non desunt exempla (vv. 94 — 101.) — plagam tibi extremam infligant. Atqui facillime animi eorum, quos iam natura ad studium tui sine tua opera perduxit, alliciuntur ad benevolentiam atque amorem, ac non est, quod verearis, ne si quid velis tribuere amori, operam perdas.

Tandem inclusus avarus: Quid ergo, inquit, tu iubes me gurgitem fieri et desidem? — Ego vero minime; aliquid interest inter istos et te. Expetas licet pecuniam, sed *certum voto pete finem, quod satis est, cui contingit, nil amplius optet* 16): utere et fruere partis; *quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* 17)

15) M. T. Cicer. Tusc. Disp. I, 5, 10.
16) Q. Horat. Fl. Epist. I, 2, 56, 46.
17) Eiusd. Epist. I, 5, 12. —

De versibus, qui sequuntur, antea satis dictum. 18.)

18) Miror profecto, Kirchnerum induxisse animum, ut nomen avari in extremo sermone positum germanice interpretatus sit Neidhard. Quidni cogitemus, veritatem ipsam cogente natura eo usque erupisse? Etenim vir ille doctissimus pag. 199 affirmat, primam caussam, cur suæ quemque sortis pœniteat, positam esse in illa animi ægritudine, quæ nec unquam suis acquiescat rebus, et aliis bona invideat ac malignitate contabescat sua; tam enim late illius, de qua agitur, avaritiæ patere notionem.